De resectione claviculae et scapulae : dissertatio inauguralis medico-chirurgica, quam ex auctoritate et consensu gratiosi medicorum ordinis in alma Universitate Regia Fridericia Wilhelmia Rhenana pro gradu doctoris medicinae et chirurgiae rite capessendo conscripsit atque die IV. Aprilis anni MDCCCXXXIII / publice defendet F.I.I.H. ab Orsbach ; opponentibus Schlieper, Leonarz, Urlichs.

Contributors

Orsbach, Franz Joseph Jacob Hubert von, 1807-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Bonnae : Typis Caroli Georgii, [1833]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/jcba536r

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

2

DE RESECTIONE
CLAVICULAE ET SCAPULAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDO CONSCRIPSIT

ATQUE DIE IV. APRILIS ANNI MDCCCXXXIII.

PUBLICE DEFENDET

F. I. I. H. AB ORSBACH,

AQUISGRANO RHENANUS.

OPPONENTIBUS

SCHLIEPER, LEONARZ } MED. ET CHIRURG. Dr. Dr.

URLICHS SEMIN. PHIL. SOD. ORD.

ROYAL COLLEGE OF SURGEONS OF ENGLAND

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII.

1833

DOCTORI

CAROLO GUILELMO WUTZERO

PRAECEPTORI CARISSIMO

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI CHIRURGICI
IN ALMA ACADEMIA FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA DIRECTORI

D. D. D.

GRATO ANIMO

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quod mihi Wutzer, vir clarissimus, dissertationis argumentum proposuit, ut quas ille resectiones claviculae instituit, has simul cum scapulae resectione luculentius explicarem: id eo lubentius arripui, quo securius ad eum, quo tendo, finem perducturum esse videretur. Nam quum a tirone, cui vix per octodecim menses aegrotos observare licuerit, doctius quidquam requiri nullo modo possit, eo potius consilio a maioribus nostris tale specimen diligentiae summi in medica arte honoris candidati iubentur exhibere, ut ex opella, quae per se exigui sit pretii, quid in posterum candidatus in arte sua sit praestiturus, liceat angurari. Ubi si ego iis, quae de argumento meo dispersa inveniuntur, in unum ordinem diligenter collectis atque

dispositis etiam nova adiecero: non meum hoc meritum erit, sed praeceptoris carissimi, Wutzeri, qui quod ipse instituit resectionis finis acromialis claviculae exemplum, ut primus publici iuris facerem, solita benignitate mihi concessit. Hoc nova operationis exemplo instructus libellus spero, fore ut idoneis in hac arte arbitris aliqua ex parte probabilis existat.

I.

De resectione claviculae.

Etsi fatendum est, nonnullos resectione, cuius fines iusto longius propagarent, ita esse abusos, ut amputationem, quae sola damno potuisset mederi, pravo consilio relinquerent: tamen hanc operationem, si suo loco ac via et ratione adhibeas, mirum quantum chirurgiae progressum indicare, negari nullo modo potest. Claviculae autem resectionem cum maiore spe prosperi et celeris eventus institui, quam ceterorum corporis ossium, hisce, quae sequuntur, argumentis nisus contendere posse videor.

a. Vices enim claviculae, quae, ut scapula firmiter cum trunci ossibus coniungatur, haud parvi momenti est, facilius quam reliquorum ossium musculis et ligamentis expleri possunt. Et revera multa mammalia, etsi clavicula carent, magnam tamen extremitatum anteriorum vim exercere solent, sicuti Ruminatores, Solipedes, Pachydermata, Cetacea, Ursus albus, Myrmecophaga et plura, in quibus scapula solis musculis cum sterno cohaeret. Canum, Felium, Hyaenarum, Lutrarum, Mustelarum clavicula minorem evolutionis gradum ostendit; in felibus vix dimidium explet spatii, quod inter scapulam et sternum intercedit. Quibus igitur talis a natura data est clavicula, qualem animalia superiorum generum post dimidiam eius partem arte remotam retinent.

b. Cum in foetu primum mandibula et clavicula puncta ossea ostendunt primumque totae in substantiam osseam mutantur, tum in adultis per totam vitam magnam eius propensionem ad materiem osseam deponendam cognoscimus, quo fit, ut clavicula fracta tam brevi temporis spatio, ac saepe quidem sine artis opera, coalescat, qua ex causa Richerand *) ad talem morbum curandum suadet, ut, nulla addita vinctura, in simplice tantum mitella brachium portetur, qua thoraci affixum teneatur et cubitus sustentetur.

Quae quum ita sint, iure sperare licet, fore ut etiam post claviculam serra dissectam callus, qui deinde mutetur in os, facile exsudetur. — Simile quid in mandibula occurrit, quae tamen functionis gravioris causa resectioni maiora impedimenta obiicit.

c. Habemus exempla, ubi in homine clavicula magna ex parte aut ex toto remota sola naturae vi regenerata pristinam recuperavit formam. Ita e. g. Larrey **) casum narrat, ubi in proelio apud pyramides Aegyptiacas iuveni summus humerus dexter globo ferreo maiore ita laesus fuerit, ut acromion, caput humeri et extremitas acromialis claviculae simul comminuta essent. Omnibus hisce fragmentis osseis sensim solutis et protractis sanationem ita evenisse, ut partes perditae restitutae et anchylosis orta sit. Exemplum claviculae ex toto vi morbi expulsae infra prolixius narrabitur.

Quid plura disputo? in resectione claviculae quum certissima sanationis spes ponenda sit, non licet dubitare, quin, ubi modo indicata sit, absque mora perficiatur. Casus primus, ubi a cl. Wutzero clavicula resecta, et relicta pars deinceps etiam remota est, probat, ne

---

*) Histoire des progrès recens de la chirurgie. Paris 1825. pag. 133.

Richerand, quum viam et modum, quibus ad hanc curandi methodum pervenerit, haud sine ostentatione quadam explicet, Celsum ignorare videtur, qui (De medicina lib. VIII., cap. 8.) dicit: „Iugulum vero, si transversum fractum est, nonnunquam per se rursus recte coit, et, nisi movetur, sanari sine vinctura potest.“

**) Chirurgische Klinik. A. d. Franz. von A. Sachs. 3. Thl. Berlin, 1831. p. 349.

dyscrasiam quidem, quae in corpore adsit, hanc operationem penitus vetare, ut felicissimi potius spem admittat eventus.

Quae indicant resectionem hae sunt conditiones:

I. Caries sive necrosis, si ita os affecerunt, ut neque natura neque remediis aliis, quam operatione, sanari queant.

II. Fractura comminuta, qua partes acutae nervos sive vasa maiora irritant, ut iis periculum inde oriatur.

III. Luxatio, quae reponi non potest, quia ligamentum capsulare et integumenta communia dirupta sunt.

IV. Osteosarcoma, osteosteatoma aliaque a morbo quodam interno producta huiuscemodi mala.

Semper eadem est res, num pars acromialis aut sternalis resecetur, quod Meyer *) infitiatus partem acromialem relinquendam esse contendit. Id tantum cavendum est, ne, quae remaneat, pars nimis conquassetur. Inter vasa, quibus parcendum est, praesertim vena subclavia et iugularis, in sinistro latere etiam duct. thoracicus occurrunt, quam ob rem tela cellulosa circumiacens inter operandum cultri manubrio caute removeatur.

Licet nos chirurgiae annales perlustrando clavicularae resectionem ad artis quendam assequendum finem prioribus temporibus institutam nusquam inveniamus, antiquissimae tamen vetustatis medicos talis operationis notionem non omnino fugisse videtur. Iam Celsus **), quum de iugulo fracto loquitur, dicit: „Si acuta fragmenta sunt, incidi con„tra cutis debet; ex ossibus ea, quae carnem vulnerant, praecidenda; „tum retusa ossa committenda sunt.“ Quod quidem praeceptum, ut data occasione profiteamur, Wilhelm ***) iniuria nobis videtur vituperare.

---

*) Ueber Resection und Decapitation. Eine Inaug.-Dissert. von Gustav Meyer. Erlangen 1829. pag. 27.

**) De medicina. Lib. VIII., cap. 8.

***) Ph. Wilhelm, über den Bruch des Schlüsselbeines. Würzburg 1822. p. 46.

Ita deinde etiam Paulus Aegineta *) suadet, ut iuguli fracti partes acutae, quae carnem laedant, praecidantur.

Quum vero illi antiquiores tantum de clavicula fracta loquantur, recentiori tempori et iis, quos chirurgia fecit, progressibus reservatum est, ut claviculae resectio certis indicationibus et operandi legibus subiiceretur, postquam Thomas, Park, White, Moreau cet. aliorum ossium resectionem instituerunt et excoluerunt. Omissis iam omnibus, quae de resectionis progressibus eiusque cultura generatim dici possunt, quum haec historiae resectionis universalis sint, duos illos resectionis claviculae casus, qui hucusque innotuere, narrabimus, quibus novum exemplum adiiciemus.

1.

V. Mott **), chirurgus Neo-Eboracensis, primus est, qui hanc operationem, a se institutam, nobis tradidit. Fecit illam mense Maio Anni MDCCCXXVIII. in Wilhelmo Yates, XIX annos nato, propter magnum osteosarcoma, quatuor pollices latum e clavicula sinistra ortum. Fecit primum incisionem semicircularem a fine sternali quartae costae incipiens et pergens usque ad alterum a cartilagine thyreoidea pollicem; tum alteram incisionem instituit ab acromio ita ad alterius plagae finem tendens, ut angulus formeretur; deinde cutis lobulo discreto et reclinato venam iugularem externam subligatam dissecuit. Quo facto claviculam a sterno dissolvit, dissecuit ligamentum rhomboideum et utramque portionem musculi sternocleidomastoidei, atque tumorem, qui nunc apparuerat, ita a ductu thoracico et vena subclavia solvere studuit, ut hae partes integrae remanerent. Denique finem scapularem claviculae in regione ligamenti conoidei serra dissecuit. Quadraginta fere vasis subligatis

*) Pauli Aeg. opera. Argentor. 1542. De iugulo fracto. lib. VI. cap. 93.

**) The American Iournal of Medical Sciences. August 1828. tom. 2. pag. 482.
Prolixius idem 1829.
Magaz. der ausl. Lit. der Heilkunde von Dr. G. H. Gerson und Dr. N. H. Julius. Hamburg. tom. 17. Mai, Juni, 1829. p. 514. et März, April 1830. p. 331.
Horn und Nasse, Arch. f. d. Med. Erf. Nov. u. Dez. 1828.

vulneris cavum linteo carpto impletum est. Cuius operationis successus talis fuit, ut aegrotus post valetudinem recuperatam brachium, ubi humerus machina quadam figeretur, omni modo movere posset.

2.

Cl. Professor Wutzer *) anno MDCCCXXVIII. Monasterii sequentem operationem instituit.

Funhoff, puer decem annorum, a prima infantia tristibus usus conditionibus, ulcere scrofuloso in regione extremitatis sternalis claviculae laborans instituto clinico Monasteriensi se ostendit. Ligamentum capsulare illic iam nudatum et ex parte destructum erat. Omnes conatus ad mali propagationem arcendam propter scrofulosin inveteratam irriti ceciderunt. Tela fibrosa mox plane emollita est, pars sternalis claviculae, carie peripherica destructa, nunc per ulcus extrorsum processit ibique integumenta sensim sensimque promovit. Quum iam, nulla cura neglecta, tertia claviculae pars denudata esset, haec ut cariei incremento finis imponeretur, loro rite subiecto serrae minoris ope dissecta est. Quae operatio quamquam omni cura, ne reliqua claviculae pars percutiretur, nec partes circumiacentes nimis irritentur, instituta est, tamen os, in diem carie magis affectum, integumenta destruxit, et denique ita labefactum et ex articulo scapulari solutum est, ut desumi posset. Quo facto ulcus late patens cicatrice rite obductum et postea paullatim nova formata est substantia fibroso - cartilaginea, quae non modo forma non abhorruit ab osse pristino sed etiam, materia ossea deposita, durior facta est, ut omnibus claviculae muneribus fungi posset.

Hoc in casu neutiquam os necrosi exfoliatum, sed una cum periosteo expulsum non solum paullatim se regeneravit sed etiam pristinam formam et ambitum denuo induit, — sane efficacia naturae formatricis quid in corpore iuvenili possit, exemplar elegantissimum!

---

*) Bericht über d. med. - chirurg. Klinik zu Münster. 1830. pag 92.

3.

Resectio claviculae a cl. Wutzero in clinico Bonnensi anno MDCCCXXXIII. instituta.

Franciscus Klehfuss, novemdecim annos natus, Palmershemiensis, matrem phthisi, quae hydropem secuta sit, sibi ereptam esse narravit. Pater, agricola, qui etiamnum vivit, crebris arthritidis accessionibus et colica laborat. Tres, quae illi sunt, sorores, optima valetudine fruuntur, neque usquam, quantum scit, aegrotae fuerunt; frater, Coloniae Agrippinae vini adusti destillator, ex quo hoc negotium exercet hebetudine oculorum affectus est, ac febrem intermittentem saepius reducem superavit. Aegrotus ipse in infantia levi capitis exanthemate infectus est et, quantum meminit, semper oculorum morbo, muci secretione adaucta et palpebrarum margine excoriato insigni, laboravit. In universum tamen satis bona gavisus est valetudine. Ab iis morbis, quibus puerilis aetas obnoxia est, immunis mansit.

Mense ab hinc quinto aegrotus, qui, ex quo adultus erat, agrum colebat, quum carrum, fulcro impositurus, tolleret et sinistrum humerum tigno supposuisset, subito dolorem acutum in parte posteriore articuli humeri sensit. Sub vesperam eiusdem diei, quum sudans ab agro domum redibat, a maximo imbre oppressus permadefactus paulisper frigore tactus horruit. Noctu dolores in illo humeri loco, quem diximus, redierunt, et mane, ubi expergefactus est, aegrotus humerum sinistrum ipsumque brachium ad digitos usque valde intumuisse animadvertit. Medicus, quem statim consuluit, frustra fomentationes ex lacte aqua commisto imponi iussit. Pressu non tantum ille locus, quem diximus, sed totius articuli ambitus doluit. Altero die venaesectio aeque irrita fuit. Cataplasmata continuabantur. Quinto post venaesectionem die aegrotus griseum unguentum accepit, quod ter per diem nucis avellananae magnitudine loco dolenti infricaretur. Quod ubi per mensem frustra factum est, septem hirudines et octo diebus post quinque cucurbitulae impositae sunt. Quae omnia quum secus cederent,

rursus ad unguentum griseum confugerunt, donec tribus mensibus a morbi principio exactis fere pone finem acromialem claviculae subruber cutis tumor, nucis avellanae magnetudine, exstitit, qui a medico lanceola apertus cochlear puris profudit. Quae suppuratio licet omni studio aleretur, tamen paucis post diebus paullatim imminuta est et tandem prorsus stetit. Haec videtur causa esse, cur tertia hebdomade post in parte axillae anteriore, ubi musculus pectoralis maior os humeri cum thorace coniungit, satis mollis tumor exortus sit, qui ruptus plurimum pus effudit. Sed etiam haec secretio mox cessavit et abscessus clausus est, quamvis aegrotus contra niteretur. Quo magis autem secretio huius alterius abscessus minuebatur, eo magis vulnus supra descriptum reviviscebat, ut modo plus modo minus puris secerneret, quod aegrotus vesicantibus, quae, donec in clinicum receptus est, applicare non desiit, ad hoc tempus aluit. Motus brachii ab initio satis impeditus erat, non quod doleret, sed tumoris, ut videtur, causa. Dolores, qui primum solum in regione articuli sentiebantur, deinde autem lancinantes secundum lacertum usque ad cubitum pertinebant, tristi et frigida tempestate augebantur, coelo sereno imminuebantur, ut brachium alio tempore melius, alio male movere posset, et coelo nubilo et caliginoso interdum per quatuordecim dies lecto teneretur. Haesitatione in excretione puris collecti conditionem aegroti pessumdatam esse, non opus est ut commemoretur. Ante tres fere hebdomades una cum pure claviculae particula ad ciceris magnitudinem, forma triangula et marginibus acutis, secreta est. Quarto decimo die, antequam aegrotus in clinicum chirurgicum reciperetur, quod die vigesimo septimo Novembris MDCCCXXXII factum est, in lecto quum, molestum pruritum in extremitatibus inferioribus sentiens, crus perfricasset, excoriatio cutis et fuscae deinde crustae ad fabae magnitudinem et vivido rubore cinctae exortae sunt.

Conditio die receptionis haec erat: Aegrotus temperamento sanguineo, statura brevi et corpore secundum vitae annum minus exculto, paullulum emacuit. Serofulosa eius constitutio facile agnoscitur, etsi

se nunquam glandulis tumefactis et abdominis tumore laborasse dicat. Sinistri oculi cornea in extremo margine cicatrice distinguitur. Palpebrarum margines sinistri oculi, praesertim externi earum anguli paullulum sunt excoriati earumque cilia satis oblita. Cylindrus et plessimetrum nullos pulmonum vel cordis morbos exstare ostendunt. Nihilo magis in abdomine quidquam est, quod vulgari normae repugnet. Functiones organorum, quae eo continentur, rite procedunt. Pulsus semper debilis et frequens, vesperi centies et quindecies quaque minuta horae parte micat. Hectica febris non sine multo sudore adest. Tota circa articulum regio a clavicula usque ad inferiorem scapulae angulum pariter atque ab interno huius angulo usque ad caput humeri et quod exstat valde intumuit, ut clavicula et spina scapulae multo minus promineant, quam in dextro latere. Integumenta huius regionis nihil, quod a norma recedat, ostendunt, praeterquam quod vasa venosa in fossa infraspinata paulo magis distingui possunt, quam in sano latere. Uno fere pollice post mediam claviculae partem acromium versus ulcus exstat, sex lineas latum, rubra et lucida areola circumdatum, e cuius ora caro luxurians fere una linea prominet, obtusa superficie, presso et tactu non dolens. Specillo per rimam usque ad claviculam penetrare non licuit, quod tamen os hoc loco tumefactum apparuit. Humerum aegrum si a fronte inspicias, hic quoque integumenta intumuisse patet, regionem subclavicularem penitus fere esse expletam atque inferiorem musculi pectoralis maioris marginem duobus digitis altius depressam esse, quam in dextro latere. Ad foveam axillarem tumor est mollis. Hic etiam in cicatrice locum videas, unde ante, ut in anamnesi dictum est, pus profluxit. Humerus rotunda amissa forma altius depressus est. Idem de plicis axillaribus valet, inter quas caput humeri sentitur. Fovea axillaris plenior. Quod inter caput humeri et acromion spatium intercedit, latius factum est, brachium paulo longius videtur, in articulo cubiti flexum et a thorace distans. Fossam infraspinatam scapulae pleniorem animadvertas, quam in sano latere, ita tamen, ut pressus foveam non relinquat et oedema

igitur absit. Acromion normae prorsus respondet. Caput humeri tertia fere voluminis normalis parte latius exstitit. Aegrotus pungentibus et lancinantibus doloribus afficitur, qui modo diutius posteriore articuli parte continentur, modo raptim per lacertum et totam scapulam ad collum usque patent, pressu in posteriore tantum articuli superficie et in exteriore scapulae margine augentur, et spongiam aqua calida tinctam si admoveas, nihil mutantur. Antibrachio fasciae illigato dolores leniuntur. Ad motum aegri membri quod attinet, ipse quidem aegrotus brevi tantum spatio a sinistra parte secundum thoracem dextrorsus et rursum brachium movere potest; si vero aliunde vis accedit, in aequam positionem et quod superat flecti potest, retrorsum vero, nisi aegrotum in posteriore articuli parte vehementissimis cruciatibus affici velis, nullo modo. In media clavicula limbus sentitur durus, sicuti existere solet, postquam os fractum callo coaluit.

Ex quibus indiciis haec dignosis facta est: Inflammatio chronica rheumatico-scrofulosa articuli humeri sinistri et partis acromialis claviculae.

Aegroto, dum in clinico versabatur, cibi blande nutrientes porrigebantur, ut vires, febre hectica valde fractae, crescerent. Pro medicina interna decoctum ligni Guaiaci tepidum. Loco affecto cataplasmata emollientia imponebantur. Circum circa unguentum tartari stibiati infricabatur, quo quum pustulae satis magnae exortae essent, inunctiones cum oleo tepido instituebantur.

Die IV. *Decembr.* praescripti sunt hi pulveres: Hydrarg. mur: mit. gr$\frac{I}{IV}$, Sulph. stibiat. aur. gr. I, Pulv. stip. Dulcamar. gr. x, M. D. tales dos. No. xx. Quorum quater quotidie singulus sumebatur. — Die XVII. eorundem pulverum, qui hucusque eodem semper dosi dati erant, pars dimidia quater per diem aegroto porrigebatur, quum signa narcoseos orta essent. — Die XXVI. Dolores aucti. Sudor copiosus. Cataplasmata continuantur. — D. III. *Ianuarii.* Multi sudores. Medicina interna nulla, excepto decocto tepido specierum lignorum. Iterum unguentum tartari stibiati infricatur. —

Die XI. *Ianuarii.* Humero aegrotanti quatuor imponuntur moxae. Pulsus vesperi magis acceleratus. Nocte multi sudores. Die XIII. Dolores colici, quorum nulla causa apparens nisi in inflammatione humeri adaucta inveniri poterat. Quam ob rem cataplasmata ex partibus aequalibus herbae hyoscyami, conii maculati et furfuris abdomini imponuntur. Postridie dolores orti sunt in ossis sacri, deinde renum regione, qui interdum ad regionem inguinalem extendebantur, quique, modo vehementiores modo leniores, saepius cum ischuria coniuncti per quatuordecim dies duravere, quamquam ad eos curandos saepius cucurbitulae cruentae et hirudines abdomini et regioni lumbari applicabantur, pro usu interno mixturae oleosae cum aqua laurocerasi, cum extracto hyoscyami, oleo Ricini, infusum valerianae tepidum pro thea porrigebantur et clysmata iniiciebantur.

Die XXVII. Dolores in humero aucti sunt, pulsantes et pungentes sese ad aurem laevam et dentes porrigebant. Sub clavicula sinistra sensus formicationis. Ischuria mitior cum urina turbida.

Exploratio die XXX. *Ianuarii* diligenter instituta tumorem duriusculum earum, quae circum articulum iacent, partium aliquantum detumuisse, eminentiam autem mollem, iam supra memoratam, quae in parte anteriore foveae axillaris est, crevisse docuit. Caput humeri et cavitas glenoidalis scapulae minus iam intumuisse videbantur. Articulus inter claviculam et acromium ita emollitus erat, ut leni pressu finis acromialis claviculae sursum deorsum moveri posset. Quam quidem partem magis etiam intumuisse primo adspectu patebat. Media claviculae pars, laesionis primariae sedes principalis, callo exsudato valde crassior erat, ita tamen, ut callus prorsus densus, durus et sine doloribus esset; ulcus quoque, quod, quum aeger recipiebatur, hoc loco erat, solidam cicatricem duxerat. Quae quidem res hanc mediam claviculae partem, initio maxime affectam, nunc plane sanatam esse, satis probabant. Contra extrema acromialis claviculae pars in dies magis morbo correpta et malum hoc loco intentius contractum esse videbatur.

Quum iam neque ex omni valetudinis in victu et regimine habita ratione, neque caloris temperatione semper aequali, neque continua

diaphoreseos cura, neque ex usu medicaminum antiscrofulosorum et antirheumaticorum per longum tempus continuato, neque denique ex derivantibus fortioribus prope locum affectum applicatis morbus sufficienter expulsus, sed potius ad sedis originalis vicinia pertinacius redactus esset: facile erat intellectu, morbum localem iam in eum crevisse gradum, ut tantum ex partium aegrotarum exstirpatione salutem sperare liceret. Verendum quoque erat, ne inflammationem chronicam per tam longum tempus durantem mox sequeretur caries peripherica, cui tum nullo modo finis imponi posset, quum vires aegroti iam valde essent fractae. — Quam facile fuisset, operationis modum designare, si clavicula tantum affecta fuisset, tam difficile res nunc evadit, ubi morbi fines in scapula et capite humeri accuratius iudicari non poterant, eamque ob causam operandi dispositio eum quoque casum complecti debebat, ubi fortasse magnam ossium partem, quae humeri articulum constituunt, desumere necesse esset. Nihilominus tamen operatio, hac quoque rerum conditione, ob indicationem vitalem institui debere videbatur. Nisi enim malum locale, quod per consensum nimis iam abdominis organa affecerat, efficaci et celeri modo sanaretur, dubitari non poterat, quin brevi aegrotus morbo succumberet. Praeterea hoc temporis momento conditiones ita mutatae esse videbantur, quae operationi faverent; obdominis enim dolores ceteraque symptomata morbosa, evanuerant, tumor, antea magis extensus, nunc sese in regionem acromii, claviculae et capitis humeri contraxerat, ut fossa supraspinata et infraspinata, antea etiam tumefacta, detumesceret. — Itaque operatio eodem die hoc modo instituta est:

Aeger, in sella sedens, ab adiutore, qui post illum stabat, sursum tenebatur. Membrum aegrum ab adiutore altero, ad latus aegrum collocato, thoraci admotum tenebatur. Operator et ipse ad sinistrum aegroti latus erat constitutus. Operatio ab incisione in formam crucis per integumenta facta incepit, tu utraque plaga in articulo acromio-claviculari sub angulo recto coiret, quarum quaeque 2¼ pollicum magnitutinem habebat. Quartuor cutis lobuli ita exorti cito in diversas partes reclinati sunt. Causa, cur superior

articuli humeri pars ita nudaretur, haec fuit, quod sic, quid re vera morbo affectum recidendumque esset, optime intellectum iri videbatur. Quum igitur nunc eae partes, quae patebant, inspicerentur, primum intellectum est, finem claviculae acromialem valde esse emollitum. Quocirca articulo eius aperto scalpellum per hunc articulum inferiori claviculae lateri admotum et ita, ut planum cultri latus huic apponeretur et acies deorsum dirigeretur, usque ad ipsum, quem modo commemoravimus, callum ductum est, quippe qui sanam claviculae partem ab aegra separare videretur. Postquam pars claviculae, ita soluta, a musculis et tela cellulosa, quibus circumdata erat, satis liberata est, venae subclavicularis diligenter ratione habita, os, cui lorum erat suppositum, prope callum Thalii priore serra dissectum, et pars ita separata ablata est. Non opus fuit, ut vasa subligarentur. Quum ita undatae scapulae partis inspectio et perscrutatio neque externam eius formam neque structuram notabiliter esse mutatam ostenderet, non ulterius progredi satius visum est, eorum eius vero, quae in articulo brachio-scapulari etiamnum morbosa superessent, sanationem derivatorio effectui suppurationis, ad hunc finem alendae, committere. Quatuor igitur lobulis satis contractis, non nullis in locis per ligaturas cruentas connectis, in angulum plagae inferiorem fasciculus, e linteo carpto confectus et oleo tinctus, immissus est, quo expeditius pus proflueret. Deinde splenium impositum est et fascia levi omnia colligata sunt.

Operatio aegrotum minus fatigaverat, quam sperare licuerat. Dolor in vulnere haud gravis fuit.

Operationi interfuerunt Dr. Dr. H. Nasse, Schlieper et Bressler, multique discipuli clinici.

Pars claviculae excisa, volumine paullulum aucta, intus valde emollita et materia fluida, rubeollo-fusca referta erat, quae locum diploës tenens pressu digitorum parva opera propellebatur. Laminae externae huius partis solita firmitate penitus carebant.

D. XXX. *Ian.* Febris, quae vulneri supervenit, parvi momenti est. Propter dolores in vulnere urentes fomentationes ex aqua satur-

nina adhibentur. Medicina nulla, nisi potus mucilaginosus tepidus frequens.

Die II. *Februarii.* Fila e sutura cruenta extracta sunt. Fomentationes perguntur. Dolores in humero et cubito imminuti. Ischuria levis, iterum exorta, cataplasmatis emollientibus debellata est.

— V. Dolores in humero, pone aurem et in abdomine. Alvus bis soluta. Urina rubra. Appetitus ciborum parvus. Pulsus paullulum rarior. — Emulsio oleosa cum aqua laurocerasi.

— XII. Adspectus vulneris bonus. Pus bene coctum expedite profluit. Tumor circum vulnus et in articulo humeri fere evanuit. Sudores non amplius adsunt.

— XX. Quum sub media claviculae parte tumor, qui distincte fluctuationis sensum praebebat, exortus esset, specillum per eam plagae partem, quae adhuc aperta erat, immissum deorsum propulsum est et ubi per cutem sentiri potuit, incisio facta est, ex qua rima parum tamen puris effluxit. — Octavo inde die novus abscessus uno pollice introrsum ortus sua sponte ruptus est et maiorem puris copiam secrevit.

— XXIII. Quum plagae, exceptis tribus locis, quibus lapis infernalis admovebatur, coaluissent, quumque nulli amplius dolores inflammatorii adessent, porrectus est pulvis ex cortice chinae et calamo aromatico.

Die II. *Martii* in illa axillae parte, ubi iam dudum parvulus tumor observabatur, abscessus ortus est, qui, apertus, parum puris effudit, quique postea derivationis causa in fonticulum mutatus est.

— XVIII. Doloribus tandem debellatis vires aegroti paullatim creverunt, tumor omnis in regione claviculo-scapulari simul ac sudores nocturni et diurni evanuerunt, humeri, cuius plagae coaluerunt, et cubiti dolores fere nulli iamiam sunt, ut aeger varios brachii motus absque dolore facere possit. Haec igitur nunc erat aegroti conditio, quae certe spe nos afficeret, fore ut, qui ante quatuor menses non modo brachio timebat, sed etiam in eo erat, ut febre hectica consumeretur, brevi tempore sanus, brachio servato, e clinico nostro decederet.

Attamen sub finem *Martii*, cum iam in eo esset, ut aeger dimitteretur, coeli intemperie dolores rheumatici in articulo humeri denuo exorti sunt. His decoctum Zittmanni (sine mercurio) medebatur, quod nunc, quum vires recuperatae essent, satis tuto applicari potuit.

II.

De resectione scapulae.

Quamvis in omni exarticulatione humeri eiusque capitis resectione, si scapulae pars quaedam quoque morbo affecta est, haec simul desumatur necesse sit, nemo tamen hucusque tam late et indebite operationem extendit, quam Fraser *), qui scilicet in exarticulatione humeri semper partem acromii et processus coracoidei, totamque cavitatis glenoidalis superficiem resecari vult, quo, suppuratione securius impedita, facilius per inflammationem adhaesivam, quae dicitur, anchylosis exoriatur. Illos vero si excipis casus, ubi simul cum capite humeri scapula resecta est, nemo inter antiquiores chirurgos de resecanda scapula mentionem fecit.

Primus tamen, qui huius operationis instituendae in cadaveribus pericula fecit, Ph. a Walther **) est. Nudat ille scapulam, incisionem in formam crucis faciendo et solvendo cutem, musculis relictis, solvit musculorum insertiones ab externo et interno scapulae margine, tum serra ipsam ex transverso statim sub spina resecat, ut tota pars ossis, quae super spinam est, conservetur; postremo seiungit musc. subscapularem ceterosque musculos omnes a superficie scapulae anteriore, quod cultri manubrio facit. Truncus arteriae subscapularis non laeditur, eiusque rami perscissi ut ceterae in regione scapulae arteriae subligantur.

*) Essay on Amputation at the shoulder - joint. pag. 30. 31. 48.

**) Journal d. Chirurgie u. Augenheilk. von C. F. Graefe und Ph. v. Walther. Vol. V. pag. 269.

Quum primum *) huius resectionis periculum a Walther in viro triginta annorum ad fungum quendam exstirpandum faceret, tota operatio, quum aeger animi deliquio afficeretur, interrupta est, scapula morbosa intacta remansit, et quum aeger post diem decimum obierit, operatio ad finem perduci non potuit.

1.

Dr. Haymann **) die XIII. Maii anni MDCCCXXIII. scapulae resectionem fecit in viro viginti duos annos nato ad removendum osteosteatoma duodecim digitos longum, novem latum, altum octo, decem libras pondo, ex scapulae substantia crescens. Cuti a tumore, duabus magnis incisionibus in semicirculi formam factis, detracta, tumor a scapula solutus est. Scapula deinde parva serra in spina ex transverso dissecta est, ut fere nihil nisi processus condyloideus et pars externa, quae super spinam est, remaneret, tota autem pars ossis infra spinam, dimidia ipsius spinae pars interna et totus angulus internus superior removerentur. Aeger ex magna sanguinis amissa vi defectionem virium passus est. Arteria dorsalis scapulae, rami maiores art. transversae et circumflexae scapulae ut et multi arteriae subscapularis rami tam parum sanguinis effuderunt, ut eas subligari non opus esset. Post hebdomadem septimam plagae omnino fere coaluerant, atque aeger valetudinem et vires plane recuperaverat. Quamvis autem maxima pars musculorum, qui scapulam tegunt aut cum illa cohaerent, semota esset, tamen brachium tam validum erat, ut, excepta elevatione, omni modo moveri posset.

2.

Janson, Chirurgus Lugdunensis Francogallus, eandem fecit operationem. Quum autem annales ***), in quibus illam descripsit, inspicere mihi non licuerit, accuratius eam a me indicari non posse doleo.

---

*) l. l. pag. 270.

**) l. l. pag. 573.

***) Archives génér. Aout. 1825.

3.

Cl. Wutzer die XVIII. Iunii anni MDCCCXXV. resectionem illam instituit, quam breviter iam alio loco **) indicavit, cuius perfectiorem tamen et prolixiorem historiam ex annalibus instituti clinici Monasteriensis benigne mihi communicavit, quae haec est:

Iosephus Wiesmann, e vico Meklenbeck prope Monasterium Guestphalorum, qui manuum opera victum quaerebat, satis valida corporis constitutione, natura phlegmaticus, antea tantum febri intermittente tertiana et crurum ulceribus superficialibus laboraverat, quum anno MDCCCXXIII. febri nervosa maligna, tunc temporis epidemica, implicatus est. Quum se plane sanatum arbitraretur, eiusdem anni mensi Decembri dextrae scapulae parti posteriori tumorem ovalem, circumscriptum, iuglandis magnitudine infixum esse animadvertit, sed, quum nullam molestiam afferret, neglexit. Quinque mensibus post quum in ovi gallini magnitudinem excrevisset, paullatim dolores urentes tam in tumore quam in dextro pectoris latere exstiterunt. Mense anni MDCCCXXV. Februario molestiae ita increverant, ut aegrotus tum demum medicum adiret, qui et emplastrum resolvens et medicinam pro usu interno ei praescripsit. Mense Iunio eiusdem anni aegrotus vehementissimis in tumore doloribus, qui praesertim vesperi redibant et usque ad mediam noctem manebant, laboravit, qui quum interdiu quoque adessent, tandem ad Policlinicum Monasterii se convertit. Fuit tum annos natus quadraginta quatuor, viribus tantum non integris, corporis functionibus nequaquam laesis et sine ullo febris symptomate. Tumor ipse partem dextrae scapulae posteriorem a margine superiore usque ad inferiorem angulum fere obtegebat, ut tantum acromium, quaeque proxime spinae pars adiacet et parva inferioris anguli pars sentiri possent. Tumor superficie tuberosa, durissimus, moveri nequit, locus fluctuans nullus animadvertitur. Eius longitudo novem pollicibus

---

**) Bericht über den Zustand der anatomischen Anstalt zu Münster. 1830. p. 135.

constat, latitudo septem. Integumenta in medio tumore colorem fusco-rubrum, qui ad lividum accedit, ostendunt. Pressus urentes in tumore dolores excitat. — Diagnosis: *Fungus medullaris.* Quam degenerationem nil nisi febris malignae residuum esse, vita honesta aegroti, qui etiam quinque sanos liberos genuerat, probavit.

Quum morbus proximo tempore cellerime crevisset et aegrotus doloribus lancinantibus quam maxime cruciaretur, ne tempus tereretur, internam curationem universalem differri placuit, donec operatio exacta esset. Quam ob rem aegroto consilium datum est, ut quam celerrime tumorem exstirpari sineret, quem, ut confentiret, dolores commoverunt. Ita die, antea commemorato, operatio facta est. Duae factae sunt incisiones hemiellipticae, quae pollicem supra marginem scapulae superiorem incipientes usque ad pollicem infra angulum inferiorem eius patebant. Fungus medullaris, qui nunc apparuit, non tantum cum multis musculi supra- et infraspinati partibus, sed etiam cum superficie externa fossae infraspinatae et spinae scapulae concreverat, ut multo tantum labore simul cum maiore parte musculi supra- et infraspinati dissolvi et desumi posset. Quo facto in ossis cellulis, quae nunc denudatae apparebant, tela fungosa, rubella, mollis conspiciebatur. Quam ob rem haec destructa scapulae pars resecanda esse visa est. Priusquam autem serra, qua digitorum phalanges dissecari solent, applicata est, culter anceps prope internam scapulae superficiem ductus musculum subscapularem ab hac scapulae parte caute, ne art. subscapularis rami laedantur, dissolvit; tum lacinia lintea ossi supposita musc. subscapularis a serra defensus est. Quae ossis nudati exsectio ipsa operatori haud difficilis, aegro minus dolorosa fuit. Quum vero fungus medullaris a partibus circumiacentibus solveretur, rami aa. transversae et dorsalis scapulae morbose dilatati tantum sanguinis effuderunt, ut operatione nondum ad finem perducta, iam essent subligandi. Arteria subscapularis, quum musculo subscapulari parceretur, non laesa est. —

Quum operatione exacta, vulnus inspiceretur, nihil, quod morbi suspicionem excitaret, relictum esse, intellectum est. Vulneris labia valde hiantia suturis cruentis connexa sunt, habita tamen cura, ut in angulo inferiore locus puris effusioni daretur. Aeger, qua erat natura

phlegmaticus, multo minus debilitatus visus est, quam in tanta operationis vehementia sperare licuerat.

Huic aperationi interfuere adiutor Dr. Pellengahr, Dr. Vogt medicus Stadtlohnensis, multique clinici discipuli, in quibus historiae scriptor H. Trütschel, nunc med. Dr.

In vulnere sanando morbum iam latius patere luculenta signa docuerunt: primum inflammatio testiculi sinistri, qua debellata suppuratio telae cellulosae et oedema dextri brachii orta sunt, quae quinta post operationem hebdomade similis abscessus in crure dextro, qui in ulcera fistulosa transit, secutus est. Ope ulceris in brachio, quod fonticuli vicibus fungebatur, usu decocti Zittmanni, pluries reiterati, victus tenuis cet. post longam curam in eam valetudinem restitutus est aeger, ut vulnere sanato non solum laboribus solitis subeundis par esset, sed etiam dextrum brachium praeter elevationem quo vellet movere posset. Atque revera dignissimum est, quod a physiologo accuratius perpendatur, in hoc pariter atque in Haymanni casu musculi supra — et infraspinati maximam partem, et insertiones partis musculorum cucullaris, deltoidei, rhomboideorum, subscapularis, teretis maioris et serrati antici maioris ablatas esse, ut brachii motus praeter elevationem minime impedirentur. Ceterum non observatum est, partem scapulae resectam esse regeneratam, quod tamen in clavicula facile fit.

Ita quum vir cum ulcere fistuloso in dextro brachio usque ad annum MDCCCXXVII. vixerat, paullatim nodus ovi gallini magnitudine in cicatrice, ex operatione reliqua, exortus est. Quo rursus ablato excrescentiae luxuriantes iam non poterant opprimi.

Quae anno MDCCCXXVIII. curatio inunctionum mercurialium adhibita est, quum dyscrasiae mederi et vulnus claudere non posset, anno MDCCCXXIX. aegrotus morbo ingenti et artis fines late superanti succubuit, postquam tamen curis indefessis vita aegroti per quatuor post operationem annos protracta est.

VITA.

Natus sum Franciscus Iosephus Iacobus Hubertus ab Orsbach Aquisgrani anno millesimo octingentesimo septimo pridie Nonas Novembris, a parentibus Clemente et Agnete, quos adhuc in vivis veneror, in religione Romano-catholica educatus. Inde a primis unguiculis usque ad nonum aetatis annum non nisi parentum exemplis et disciplinae deditus inter ludos pueriles omne tempus contrivi. A quo tempore ubi prima literarum elementa et ea, quibus praeterea pueri erudiri solent, rite percepi, anno aetatis decimo quarto in gymnasii, quod Aquisgrani floret, discipulos receptus sum. Ubi omnibus classibus rite absolutis et examine moturitatis superato anno MDCCCXXVIII. mense Octobri Rectore Heftero Magnifico numero civium Academiae Fridericiae Wilhelmiae Rhenanae legitime adscriptus et apud Decanum gratiosi ordinis Medicorum, cl. Prof. Bischoff, nomen professus, hisce, quae sequuntur, interfui praelectionibus.

1. Physica experimentalis apud cl. a Münchow; Logica et psychologia apud cl. van Calker; de systemate philosophiae apud cl. Windischmann; chemia experimentalis apud cl. G. Bischof; botanica generalis apud cl. Nees ab Esenbeck mai.; botan. pharmazeutica apud cl. Nees ab Esenbeck min.; Zoologia apud cl. Goldfuss; mineralogia apud cl. Noeggerath; zoochemia apud cl. Bergemann.

2. Encyclopaedia et methodologia artis medicae apud cl. Müller; osteologia et repetitorium anatomiae apud cl. Weber; anatomia generalis et specialis apud cl. Mayer; physiologia et pathologia generalis apud cl. Müller; materia medica apud cl. Harless; semiotica et repetitorium therapiae apud cl. Albers; therapia generalis et spe-

cialis apud cl. Nasse; chirurgia universalis et de operationibus chirurgicis doctrina, atque de arte obstetricia, de morbis parturientium ac puerperarum, de oculorum et aurium morbis apud cl. Kilian; de morbis syphiliticis apud cl. Naumann; anthropologia et de morbis psychicis apud cl. Nasse; de ossium fracturis et luxationibus apud b. a Siedmogrodzki; de medicina forensi et epizootiis apud cl. Bischoff; de oculorum morbis apud cl. Wutzer, de cholera Indica, et collegium casuisticum practicum apud cl. Harless.

In arte cadaver. dissecand. duces fuerunt cl. Mayer et Weber; in fasciis chirurgicis applicandis usus sum auctoribus primum b. a Siedmogrodzki et deinde cl. Wutzer; in operationibus chirurgicis in cadavere exercendis cl. Wutzer, in operationibus obstetriciis in phantomate instituendis cl. Kilian auctores mihi fuerunt. Auspiciis cl. Nasse in clinico medico per annum dimidium aegrotis observandis, per annum integrum et dimidium illis curandis occupatus sum, in clinico chirurgico per unum semestre auscultanti, per alterum practcanti mihi cl. Kilian, per annum dimidium practicanti cl. Wutzer moderator fuit; clinicum obstetricium, cl. Kilian duce, per semestre auscultans, alterum practicans frequentavi.

Quibus viris, quidquid sum, me debere, grato animo confiteor.

THESES.

I.

Magnetismus animalis, quia liberam voluntatem tollit, ubique reiiciendus.

II.

Subligatio funiculi umbilicalis nocet.

III.

Coniunctiva corneae non exstat.

IV.

Ebrio non magis quam vesano imputanda sunt crimina.

V.

Cholera Indica non est morbus contagiosus.

VI.

Thesis, quae falsa, optima.

VII.

Syphilis non nisi mercurio sanatur.

VIII.

Omnes iudiciorum species ad hypotheticum reduci possunt.

IX.

Organismus vivit moriendo.

X.

Nulla mors exstat.

XI.

Scirrhus est morbus localis.

XII.

Perperam agunt, qui promiscue et homoiopathica methodo utuntur et allopathica.

XIII.

Voluntarii sunt iridis motus.

XIV.

Sectio caesarea facillima operatio.

XV.

Vera phthisis senectus tantum est.

XVI.

Chemica divisio medicamentorum optima.

XVII.

Deum esse probari nequit.

XVIII.

Organismi definitio non datur.

XIX.

Foetui statim a conceptione animus inhabitat.

XX.

Sunt certi inter medicinam et chirurgiam fines.

XXI.

Medicus obstetricius et chirurgo et medico praestat.

XXII.

Non quivis morbus complicatus chronicus est.

XXIII.

Embryotomia nunquam utendum est.

XXIV.

Nullus morbus lethalis.

XXV.

Veteres iam noverunt acidum hydrocyanicum.